



# OPVS NOVVM

DE

## PROPORTIONIBVS NVMERORVM,

MOTVVM, PONDERVM, SONORVM, ALIARVMQVE rerum mensurandarum, non solum Geometrico more stabilitum, sed etiam variis experimentis & obseruationibus rerum in natura, solerti demonstratione illustratum, ad multiplices vsus accommodatum.

AD M. A. AMVLIVM VENETVM,

Cardinalem Illustrissimum.



**B**ENE dictum est meo iudicio à Platone M. A. Amuli optime, beatas fore Respub. si vel illarum domini sapientia amatores essent, aut qui sapientia essent amatores dominarentur, hoc ipsum clarè intelligens, studio sapientia nihil esse vtilius humano generi: quo simul & pietas, & iustitia, & mutus amor hominum inter se & eorum commoda continerentur. Nempe hisce quatuor tota nostra felicitas comprehenditur. Si quidem pietate in Deos nihil nisi sanctum, & purum, & illustre sapimus: hoc ipso primum quod supra nos est, intelligimus, Deos veneramus, gratias agimus, timor cum veneratione nostros animos subit, & de futura vita cogitamus, hæc ipsa mortalia si non negligentes saltem parui facientes. Iustitiam autem ad eò necessariam humano generi esse scimus, ut sine illa neque esse, nedum bene esse possimus, ut neque latronum cætus absque ea diu stare possint. Porro quid dicam de concordia, & mutua hominum beneuolentia, in quibus omnis vita humana dulcedo reposita est: nec quis sustineat viuere, qui se omnibus odiosum esse sentiat. His ipsis filios in spem alimus, parentes fouemus, fratres tuemur, & adiuvamus, amicis opitulamur, cum hominibus hilarem & iucundam vitam ducimus. Si quis serpentem in lecto haberet, nunquam somnum caperet: ita nihil molestius est in hac vita, quam esse cum quo nolis, & priuari consuetudine eorum cum quibus maxime viuere cupias. Quid enim habent Principes præcipuum cum tota illa potentia quam habent, nisi hoc unum, quod suis quos amant bene facere possint? nam reliqua omnia exerceri, venari, edere, bibere, dormire, iter agere, loca amena inuisere multis aliis concessum est, maioreque commoda qui in vita priuata degunt. Si ergo principatum cum tot laboribus, curis, periculis, & merito omnes appetunt: nec est in eo quicquam præcipuum præter hoc, cui dubium est quin hoc non sit summum huius vite hominibus bonum? propter cuius vel dubiam spem eorum, que habent obliuisci mortales periclitantur. Succedunt inde tot commoda, non solum vtilia, sed pleraque etiam necessaria, que nos sapientia docet: huiusmodi ergo omnia cum libris contineantur, merito optimus quisque librorum bonorum perpetuitati atque incolumitati fauere debet. C. Caligulam execramur solum ob id quod Vergilij, & T. Liuij scripta delere cogitauerit. Quid facturi essemus, si fecisset quod cogitauerat? Est in sapientum monumentis bonum sine malo, mens sine corporea labe: Virtutes absque vitis, gratia & iucunditas sine sorde, & immunditia, voluptas sine dolore, conuersatio absque tadio, delicia absque miseria nuda, omnia bona præstant, atque laudabilia ab omnibus mortalitatis exuuiis libera, tantum commodi afferunt libri. Sed & in eorum electione ac studiis modus, ac